



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 3. Terra ardoribus excusta, Deo puniente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

richuntinis viridarijs nasci solitum, in Ægyptum sit translatum, vbi non alia irrigatum aqua crescit, quām illius fontis, qui B. Virginis Mariæ, Filioque illius scaturit exultanti.

Iouiol. 17.  
hist.

§. III.

*Terra ardoribus exusta, Deo puniente.*

Ne quis autem existimet, caligine tantum, aut luminis subductione, vel siccitate, ac sterilitate terras deformari, deformantur & igne, & motu, quando diuinâ irâ percussæ contremiscunt. Tametsi enim nihil aliud est in terra tremor, quām in nube tonitruum; nec hiatus aliud, quām cūm fulmen erumpit, inclusō spiritu luctante, & ad libertatem exire nitente: vtitur tamen natura Deus, & in perniciem impiorum frænos laxat elementis. Hinc illa: *Quia dies ultionis Domini, annus retributionis judicij Sion, convertentur torrentes eius in picem, & humus ei⁹ in sulphur: & erit terra eius in picem ardente.* Quo pacto Vesuuuius mons, teste Eusebio, Anno Christi 83. rupto vertice, tantam flammarum copiam euomuit, vt finitimæ regiones vrbésque, vnâ cum hominibus, incensæ fuerint ac desertæ. Circa annum 1135. tantus in Gallia calor, tantaque

Plin. li. 2.  
nat. hist.  
cap. 79.

Isa. 34. 8.

Euseb.

An. 83.

Vign.

An. 82.

Palm.

An. 1135.

Hh 4 siccii.

siccitas extitit, ut terra ardere, & flamas, cum ingenti populi terrore, emittere inciperet. Quod varijs in locis euenit, igne exustis à Deo, quando ascendit fumus in ieiunis, & ignis a facie eius exarsit: carbones succensi sunt ab eo. Sic ignem igne compensat. Ardent homines auaritia, ira, odio, libidine; incendunt pauperum casas, innocentium domos, pagos, ciuitates, contra promissa, & fidem datam: hæc incendia, cur incendijs non puniantur? cùm etiam, Politicis legibus, ad rogum damnentur, qui domum alterius malitiose inflamauerunt.

## §. IV.

*Terra motus & hiatus à Deo irato.*  
 Nec minus terrificum est, quod præcedit. *Commota est, & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt; quoniam iratus est eis.* Ut enim omittā naturales terræ motuum caussas, præpua, cur terræ quatiantur, caussa est Deus, *quoniam iratus est eis.* Non possunt quiesce-  
*Esther. 7. re, qui vehementer irascuntur. Vnde & As-*  
*7. fuerus rex iratus surrexit, & de loco conuinij*  
*intravit in hortum arboribus constitū. Ex quo*  
*motu & Aman intellexit, à rege sibi prepara-*  
*tum malum. Concionatores quoque, cùm*  
*volunt*